

ME

2

Over Yd 920² 4°

9

2

G. q. 106. a.

MONUMENTUM PIETATIS,

QUOD

VIRO

PERQUAM REVERENDO ATQUE DOCTISSIMO

JOANNI SIMONI PAPPIO,

R. CONVENTUS, QUI BERGAE FLORET,
SENIORI VENERABILI,
 MINISTRO VERBI DIVINI IBIDEM FIDELISSIMO,
 ET PAEDAGOGII INSPECTORI VIGILANTISSIMO,
 PONERE DEBUERUNT,

VOLUERUNT

PRIMAE CLASSIS LATINAe CIVES

INTERPRETE

JOANNE GEORGIO GRAHNIO.

MAGDEBURGI,

LITTERIS GABRIELIS Gotthilf FABRI. MDCXLIII.



mnis nostra brevis, velox, & plena
laborum

Ætas, quam nobis dat DEUS, esse solet.
Vita ruit fallaxque cito pede labitur
aevum,

Inque dies maior caussa doloris adest.

Praetereunt anni, minatur vita ruinam,

Jam cinis est tenuis, qui modo tantus erat.
Mutandae sedes; properamus ad atria caeli

Aspera, fac, secum taedia ferre viam.

Pallida mors cunctos invadit, corripit artus

Eheu! non miti corpora falce rapit.

Cum senibus iuvenum densantur funera mixta,

Ad mortem certe est omnibus una via;

Exiit e vita VENERANDUS PAPPIUS ille,

VIR, quem Numen amat, totaque Berga colit.

Arida convulsit fervens praecordia febris,

Obsidet anxietas vix reprimenda latus.

Post bis quinque dies superatus morte quieta
Occubat, ad caeli gaudia laetus abit.
Sic vitam finit: sic vere vivere coepit,
 Sic vivet vitam, sic sine fine viget.
Caenobium totum planctu, queruloque tumultu
Personat: est fletus, tristis ubique dolor.
In primis queritur, trahit & de pectore voces
 Lugubres studiis erudienda cohors.
Horret, vix meminit, quo sit privata Magistro,
 Hoc ait: insignis caussa doloris adeſt.
Fletibus irrorat tumulum, suspiria ducit
 Ex imis, moesto corda dolore coquit.
Non erat e multis, qui vivere desit, unus,
 Lumen erat Bergae, coenobiique decus.
Omnibus exemplar graviter, digneque loquendi
 Factis, quae docuit, exprimit ipſe suis.
Hec! quam fidus erat! Christi servabat ovile
 Bergensem fovit fedulitate gregem.
Cauta ducebat, vitare pericla docebat,
 Sollicito studio devia sueta monens.
Multo cum fructu caelestia dogmata tradit
 Exponens nobis iussa colenda Dei.
Ipſe viam pandit, semitamque ad sidera caeli
 Qua quis adire queat regna beata poli
Haec fuit una, Deo tantum servire, voluptas,
 Suave ministerium, spargere verba Dei.
Exemploque suo firmans oracula legis,
 Sic homines cogit dogmata quaeque sequi.



Non simulator erat, nulli pietate secundus
Deliciae fuerant integritatis amor.
Simplicitas sapiens in eo, facundia praestans,
Simplicitas semper nescia fraudis erat.
Quid vero laudes eius narrare necesse est?
Unum pro cunctis fama loquatur opus.
Heu! quam iucundum nobis est Lumen ademptum,
P APPIU S heu cecidit grandis amore senex!
Quis reparat nobis, quod nos amisimus illo?
Excepto summo Numine nemo valet.
Magne Deus! Te imploramus, qui cuncta gubernas,
Namque in Te solo nostra locata salus.
TU nostri curas alii concedere Digno,
Vulneris ut praesens sit medicina, velis.
Contusos animos & res miserare subactas,
Sis Pater, is maneas, atque columna **DEUS!**
Nos recrees, laetum revoces per membra vigorem,
Abstineat luctu, quisquis amicus adest.



78 M 350

ULB Halle

001 592 122

3



56.

Petro V



MONUMENTUM PIETATIS,

QUOD

VIRO

VERENDO ATQUE DOCTISSIMO

**INISIMONI
APPIO,**

US, QUI BERGAE FLORET,
RI VENERABILI,
BI DIVINI IBIDEM FIDELISSIMO,
I INSPECTORI VIGILANTISSIMO,
PONERE DEBUERUNT,

VOLUERUNT

LASSIS LATINAEC CIVES

INTERPRETE

E GEORGIO GRAHNIO.

MAGDEBURGI,

ABRIELIS Gotthilf FABRI. MDCCXLIII.

Farbkarte #13

